



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

LXV. Tritvra.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**

L.XV.

## TRITVRA.

Historice, & ad modum Hetruriæ, messis trituram  
describit; eaque utitur ad mores instruendos.

**A**dvenit assiduis devota laboribus æstas,  
Quodque unum agricolæ tempus adesse petunt;  
Sol premit ætherii ferventia terga Leonis,  
Et reparat fronti spica serta Ceres.  
Sena, vale, multumque mihi dilecta juventus,  
Cui comes hyberna Palladis arte fui.  
Me juvat umbrosa subter considere quercū,  
Quo facilis veniat per mea membra sopor.  
Hic longum dormire lubet, dum lœta cicadis  
Vndique festivo murmure cuncta sonant.  
Hic frugem evigilans cupio spectare cadentem,  
Quam sibi prosternit rusticus ante pedes.  
Vndique ferret opus campo: pars illa maniplos  
Colligit, & nodo jam leviore ligat:  
Pars onerare trahas aggesto gaudet acervo,  
Conjunctoque domum pondera ferre bove.  
Area non procul hinc tereti est æquata cylindro,  
In qua excernatur sordibus acta Ceres.  
Hic ubi laxati consurgunt orbe manipli,  
Densaque compactum reddit arista nemus;  
Insilit in medium velox agitator equarum  
Agricola, & ternas lora revincta tenent.

Has

Has agit in gyrum succussum lœva, terentes  
Triticeam messem; has verbere dextra domat.  
Invertit culmos socius, non rite resectos,  
Confusamque novo congerit orbe struem.  
Hac iterum stat cogere equas, & frangere, donec  
Trita minutatim sit pede tota seges.  
Tum pars expurgat paleis, pars ventilat auris  
Frumenta, & cibrum pars Cereale quatit.  
Dividit hic messem, impletur sextarius illi,  
Et capiunt fructus horrea quæque suos.  
Heu sors; quam brevibus demum deponitur horis,  
Annua quod vigili cura labore premit!  
Discite, mortales, rectam componere mentem, &  
Continuam studiis invigilare diem.  
Seu fora vos unquam, Regum sive aula vocabit,  
Seu versuta procul curia forte petat:  
Quidquid solliciti denis vix cogitis annis,  
Ingenii robur colligit una dies;  
Proferet in lucem verbis tribus ore solutis,  
Ponderis hoc quantum mens operosa ferat.  
Viribus interea nec quicquam fidite vestris;  
Poscite sed superi numina amica Dei.  
Motibus ætheris pendent hæc omnia, sed vox  
Una Dei motus imperat, una regit.  
Saepè sui oblitus quum respicit arva colonus  
Pinguis, nec curat vota referre Deo;  
Tum grando segetem crepitans ferit horrida, quamvis  
Proxima erat, curva ut falce resecta foret;  
Enecat aut geminis veniens ardoribus æstus,  
Aut siccus Boreæ corripit inde furor

H

Non

*Non sic te ingenii faciat primæva tumentem  
Luxurias : tacito deperit illa die.*

*Immo tuæ recolens cœlo data semina menti,  
Primitias Domini, sis memor, esse sui.*

## LXVI.

IN GRATIAM EPISCOPI  
CERVIENSIS.

Ejus sepulcro incidendum.

**M**ortalis regimen vitæ, meditatio mortis.  
*Hanc utinam teneas pectore, voce, manu.  
Erudiere satis, muta, hospes, talia nostri  
Si lapis & cineres dant documenta tibi.*



## LXVII. DE